

tissimum intelligenda venit illa provocatio: *Da mihi formam*, (i. e. formale nomen,) *lapidis* (usu receptum) & *Phyllida solus habeo*.

§. 4. Perinde autem est initiò scientiæ, s. receptum sit unum aliquod nomen formale, s. non, nam inter principia formam tantum obiter indigitamus, ejusque vim & quantitatem implicite saltem, directe tamen, subinnumus, non expresse velut emetimus aut enumeramus. Nam ut expresse recenseantur singula, pro singulis essendi rationibus, tanquam formæ particulis sufficienter exponendis (qualium res, præsertim naturales, innumerabilem in se complectuntur multitudinem,) pro singulis inquam formæ particulis, singulæ vix sufficiunt orationum Iliades. Quâ quidem verborum copiâ non nudum corporis cognoscendi principium contineri, s. cognitionis initium fieri; sed ipsam cognitionem corporis expediri, adeoque formam totam secundum formalitates omnes explicari, necessum est. De quâ tamen explicatione, dum adhuc inter principia versamur, solliciti non sumus.

## CAPUT VII.

### De principio corporis simultaneo.

Seu, de conceptu totius simul existentis, & per VICES restituti.

§. 1.

Si corporis essentia non, ut hætenus, *Idealiter* tantum & secundum statum signatum; sed *actualiter*, secundum statum exercitum, consideretur, prout existit h. e. prout extra causas, si quas habuit, nunc est, & prout, nemine de eadem cogitante, reipsâ se fistit; ut *Individualem*, i. e. in plura velut exemplaria sui non divisibilem, rationem eatenus habeat, nihilominus tamen etiam hæc duabus positionibus subest, quas intellectus noster, indolem suam compositivo-divisivam secutus, in eodem doctrinæ gratiâ discernit, quarum una *simultanea* dicitur, altera *singularis*. *Simultaneâ* positione corporis existentis (v. g. lapidis in annulo quem gestamus) actualis & individualis essentia cõcipitur, ut *tota simul*, i. e. *SEMBLgerm*: *einmahlexistens*: *singulari* positione, corporis existentis totius (ut actualis & indivi-

indivi-